

ORATIO.



*D*ietae, Sapientiae Magistri, A. O., tres Charites, Aglaïam, Thaliā & Euphrosynen, sorores fingendo, easque ita, ut se inuicem complectantur, pingendo, non tantum ad beneficiorum exhibitionem, acceptionem & redditionem, sed etiam ad virtutum connexionem & sororium quasi complexum collineasse videntur; quandoquidem eiusmodi connexio adeo necessaria est, ut Augustinus (in quem omnia ferè ornamenta DEVS congegesserat) Virtutes Cardinales ad unicum amorem DEI redigere fategerit, dum, nihil, ait, (L. I. c. 15. de moribus Catholicae Ecclesiae) omnino esse Virtutem affirmauerim, nisi summum amorem DEI. Illud enim, quod quadripartita dicitur Virtus, ex ipsius amoris vario quodam effectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor Virtutes (quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium!) definire non dubitem: *Temperantiam* amorem DEI integrum se incorruptumq; seruantem; *fortitudinem* amorem, omnia propter DEVM facile perferentem, *iustitiam* amorem DEO tantum seruientem, & ob hoc caeteris, quae homini subiecta sunt, bene imperantem: *prudentiam* amorem, bene discernentem ea, quibus adiuuetur in DEVM, ab iis, quibus impediri potest. Tota res eò redire videtur, quod Virtutes intellectuales & morales non a se inuicem diuelli, sed nunquam non connexae & quasi concatenatae esse debeant. Secundum istud Ciceronis: Omnes virtutes inter se nexae & iugatae sunt, L. 3. Tuscul. Quaestionum; & quemadmodum verbis ipsius pro M. Marcello, in quibus Victorem hosti debellato parcentem simillimum, DEO iudicat, Lactantius ornate ac politè Vellem, addit, adieciisset, de libidine, luxuria, cupiditate, insolentia, ut virtutem eius impleret, quem similem DEO iudicabat; non enim fortior iudicandus est, qui leonem, quam qui violentiam & in seipso inclusam feram superat iracundiam, aut qui rapacissimas volucres deiicit, quam qui cupiditates auidissimas coërcet, aut qui Amazonem bellatricem, quam qui libidinem vincit, pudoris & formae debellatricem, aut qui fimum de stabulo, quam qui vitia de corde suo egerit, quae magis sunt perniciofa, quia domestica & pro-

pro-